



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 8. Iudicia temeraria quoties, & quàm iniquè ferantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Baronius
in Ottho-
ne III.

Augustam coniugem, ob pomum Paulino donatum, ab societate tori seiunxit; Paulinum, ut alij tradunt, eadem nocte occidit, vel in exilium deportari mandavit. S. Itta ex rupe praeceps in altam voraginem deturbata. Extat vita Itta singulari libello edito ab Fischingensi Abbate vulgata. Ottho III. Imperator falso delatum Comitem occidit. Henricus S. Kunegundis innocentiam ferro igniq; exploravit. Alij priuatorum casus quotidiani & sine numero occurrunt.

§. VIII.

Iudicia temeraria quoties, & quàm iniquè ferantur?

S. Bern.
serm. 12.

Neque inter coniuges dumtaxat eiusdemodi iniusta atq; temeraria iudicia feruntur. Seruus conseruum, immò dominum; filius patrem; filia matrem; maritus vxorè; vxor maritum; subditi Principem & magistratum; sæcularis Religiosum, Religiosus sæcularem, immò & Religiosum, filius confessionis Confessarium ad iudicij sui tribunal vocat. Vnde S. Bernardus ait: *Si is, qui de claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minùs districtè, minusq; circumspèctè se se agere deprehenderit; verbi gratia in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio;*

non

non ad iudicandum confestim profiliat; sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri, Eccli. 42. quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem ^{14.} in tui custodia vigilans bene facis, sed qui iuvat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit, absq; aliqua iniquitate, id ^{Iac. 5. 20;} est, absque aliqua inaequalitate vita & conuersationis sua, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hac dicta sint contra germinam tentationem, qua saepe viri Religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temerè iudicare diabolicis instigationibus incitantur. Vitali Monacho de prostibulo egredienti, quidam, qui temerè iudicabat, eum libidinis exercendæ causa, in illo fuisse putans, colaphum infregit, & illico à dæmone insecussus est. Adibat enim Vitalis prostibula, vt meretrices à turpi corporis quæstu auocaret, pecuniaq; paciscebatur vel vnus notis continentiam. Quæ res clariùs patuit, cum percussorem suum à dæmone liberauit. Ostendit ea liberatio, sanctum fuisse, qui temerè est iudicatus; iniustum, qui temerè iudicauit. Eiuscemodi iudicia, non tantùm quotidie, in vna ciuitate contingunt milles, sed saepe in vna domo, saepe in vno homine. Quidam enim vel naturæ tristis, vel
amaræ

amaræ mentis vitio, neminem aspiciunt, quem non iudicent damnentque.

§. IX.

Temerarium iudicium quàm grave sit peccatum, & cur?

Putabit quis ea iudicia non esse magni momenti, cum intra cogitationem orta, intra cogitationem illicò occidant; aut certe, si pertinaciùs hærent, ultra cogitationes non progrediantur. Verùm res secus evenit. Siquidem & alterum sua priuant estimatione, & iudicantem obligant ad opinionem temerè iudicato restituendam, suamque retractandam; quod cum & rarò fiat, & difficile sit exequi, quia opinionem semel conceptam humani ingenij pertinacia non libenter mutat, fit ut is, qui ita iudicavit, iudicium suum ad iudicium & tribunal Dei secum, ex hac vita, plerumque auferat, cum periculo æternæ damnationis. Et, ne quis putet, Comitæ quidem iudicium quod innocentem coniugem catenis oneratam, ad canes damnavit, grande quid patrasse; suum autè iudicium innoxium esse, neque ad tam crudeles pœnas decernendas procedere, sciat, quicumque, apud se se, alterum cum temeritate iudicat mortaliter peccavisse